Simonis Pistorii
Oppoliensis Silesii,
Sacrorum Epigrammatum
Octernio Tertius.

Indolis egregiæ, & spei optimæ, NICOLAO ET SIGISMUNDO, *Fratribus; Generosi & Egregii V. Domini* IOHANNIS BAPTISTÆ *de Cettis, &c. filiis, oblatus.*

Autor ad Lectorem.

Ne mox damnato, nova si tibi, candide Lector,
  Fortè videbuntur, quæ tibi pauca damus.
Sed præjudiciis lictis, inquirito Verum;
  Hîc etiam, quod te fors juvet, esse potest.

PRÆCOCE JUDICIO RELEGENS QUI SCRIPTA; NEC ILLA PERCIPIENS DAMNAT; MENTIS ET ARTIS EGET.



NOBILIBUS ADOLESCENTIBUS
INDOLE ET MORUM ELEGANTIA
Suavissimis,

NICOLAO ET SIGISMVNDO
Cettisiis Fratribus,

Salutem.

Cogitanti mihi Nobilissimi Adolescentes quonam Xeniolo his Cal: Ian. Anni ineuntis 1610, meum erga Vos, quo a me complectimini, contestarer Amorem; id tandem in animum incidit meum, ut vos dono aliquo chartaceo, quo vos magnoperè delectari dubium mihi non est, afficerem. Conscripsi itaq; hunc 3. Epigrammatum Libellum in vestri gratiam; ut eadem operâ; & meam erga Parentem vestrum ac Mecœnatem meum colendissimum, pro magnis ipsius in me meritis, declararem gratitudinem; & vobis ad amplectendum hoc Poetices studium, quo plurima cùm Moralia, tùm Doctrinalia, non tantùm in Philosophicis, verùm etiam Theologicis, a multis magnæ autoritatis & eruditionis Viris hactenus sunt compræhensa, quodammodo incitamento essem. Eâ enim jam ætate estis, quâ Vos præter alias Disciplinas, quibus dediti estis, etiam jucundæ huic Arti assuefieri convenit. Et sacra, ut videtis, horis succisivis hoc genere Carminis complexus sum; tùm ad Mysteria quædam Religionis Christianæ, tùm ab Confutandos quorundam Errores pertinentia; ut eò suavior Vobis eorum esset lectio. Accipite igitur Vos hac vice hunc Epigrammatum meorum Octernionem Juvenes lepidissimi hilari animo; Me redamate; ac illi Viæ, cui vos consecrastis insistite. Mihi magna Spes est de Vobis; Ampla Parenti Vestro; non vulgaris Omnibus. Valete. Czarkoviæ, Calend: Januarii. Anno 1610.

Simon Pistorius.

SACRORUM EPIGRAMMATUM
Octernio Tertius Simonis Pistorii, O. S.

CHRISTUS cur Vita nostra. Ioh: 14.

MUnere suscepto qui primus in Orbe docendi,
Terrigenis Vitam nunciat esse novam;
Quique resurgendo, post tot Miracula facta,
Terrigenis Vitam comprobat esse novam;
Denique cunctarum rerum moderamen habendo,
Terrigenis Vitam qui dat habere novam;
An non Iste Deus Nobis, an Vitaque nostra
Non verè dici, qui mereatur, habet?

Caussa tentati CHRISTI. Mat: 4.

Non est hoc præter rationem Christe, quod olim
Tentatus fueris a Duce Tartareo.
Namque Ducem decuit, Servatoremque futurum,
Quæ Nos concernunt, Omnia dira pati.
Ut non ignarus, Nobis succurreret ille,
A Satanæ vafris eriperetque dolis.
Ergò quid metuam cunctos jam Dæmonis astus.
Cùm mihi de Stygio Dæmone, Victor adest!

Caussæ Mortis & præeuntium afflictionum CHRISTI.

Nil temerè tecum est actum, placidissimè Christe,
Omnia sed summo sic statuente Deo.
Hinc, quòd non fueras occisus, simplice fato,
Qualia multorum fata fuêre prius;

Sed præceßerunt infinitique dolores,
Præcessitque ferè cottidianus agon;
Vincula, sarcasmi, flagra, limine Mortis in ipso,
Postremò ipsius tristis imago Necis.
Hoc ideò factum est; ne Me quoque terreat ullus
Mortis agon, animum dejiciantve meum
Tot mala, tot rerum species, & monstra malorum
Quæ Me semper in hac conditione manent,
Sed quò sit mihi firma fides, post ultima fata,
Me quoque in Axe Poli, Te præeunte, fore.
Admiranda Dei Bonitas! Sapientia mira!
Quæ voluit vires sic animare meas.
Admirandus amor Christi! Patientia mira!
Quæ spem sic voluit certificare meam.

Mortis CHRISTI caussæ, & fines.

Triste tuum legitur funus, sed funeris hujus
Quàm paucis ratio, caußaque Christe, patet!
Quæritur hinc multis duri placatio Iovæ;
Quæritur hoc nobis funere Patris amor.
Sufficiens aliis hominum pro Crimine λύτρον
Quæritur; at nobis firma, tenaxque fides.
Qui dedit Humanæ Promißa perennia Genti,
Sic meruiße fidem debuit ille sibi.
Qui mala Nos per fata fuit ducturus ad Astra,
Hæc mala debuerat fata subire prior.
Quique daturus erat Nobis Promißa beata,
Debuit hæc istâ primus adire viâ.
Funere facta fides Christi tibi certa Salutis,
Nec de Pollicitis jam dubitare potes;

Ergò quin horum, Mortalis perdite, sub Spe,
Præscripsit Christus quæ facienda, facis!
Quin omnem toleras Sortem patienter, & ipsa
Si sic Iova ferat, funera dira Necis!
Non peritat Duce sub Christo, qui fortia miscet
Prælia cum Mundo, Dæmone, Carne suâ.
Christus enim Dominus, cui nunc in cuncta Potestas,
A Patre mercedis quam tulit ille loco,
Confortatque suos sacro Spiramine, datque
Maxima de rigidâ ferre tropæa nece,
Deniqúe plectentur dùm perpete morte Maligni,
Tunc blanda ille Patris ducet ad ora Pios.
Felix, sic pensat caußas qui funeris huius,
Hincqúe capit vires ad bona facta novas!

Resurrectio CHRISTI, Majestas, & Potentia.

Quem sibi venturi lethi memor ante Iosephus
Fecit, in hoc clausus marmore nuper eram.
At nunc immensus non Me capit Orbis, & Æther,
Non Mare, non rerum Cætera quicquid habent.
Nam postquam redii superas redivivus in auras,
Et veni in summi Regna beata Poli,
Ad dextram residens Patris commune guberno
Imperium, Patri par in honore meo.
Ante thronum stat cuncta meum divina Volantûm
Semper ad obsequium Turba parata meum.
Me coràm trepidat, quæ Cœlis excidit olim
Damnata ingenti cum Duce tota cohors.
Me timet Infernus, fortissima Me timet Hostis,
Quæ metit humanum Mors sine lege Genus.

Deniqe non alium Dominum Me præter & extra
Post Patrem, agnoscunt Cetera cuncta suum
Tam valida est nusquam, tàm magna Patentia nulla
Quæ sit Virtuti par, similisque meæ.
Tam validum est nusquã, nullum tàm grande periclũm
Vt nequeam præsens aßeruiße meos.
Tàm Bona sunt nusquam validè, perfectaque nulla,
Quæ nequeam largè contribuiße meis.
Nunc à mille Ipsos ingentibus aßero pœnis,
Quæ sine fine, Deo Corda odiosa, premunt,
Posteà cum totus deflagrans ignibus Orbis,
Sentiet interitûs ultima fata sui,
Cladibus ereptos, & perpete Morte Fideles
Fortiter, in Regni parte locabo mei.
In Cœlo poßint ut semper amore fruisci,
Et summi facie pascere Corda Patris.
Felix! ex animo mea qui Præcepta capeßit,
Confisus Curæ, Numinibusque meis,
Illum nequicquam Mors enecat, & tenet Orcus,
Nequicquam in nihilum solvitur atque perit,
Nam rursus de Morte, meâ Virtute, resurget,
Atque tropæa truci de Nece Victor aget,

Caussę non conspecti ab omnibus CHRISTI, à mortuis excitati. Actu: 10.

Quòd se noluerit cunctis præbere videndum,
Prodiit è rigida quum redivivus humo,
Vt voluit, Christus, sua cetera conspicienda
Facta priùs; ratio est, caußaque (crede mihi.)

Si locus & Vitio, & Virtuti debuit eße,
Si nostræ Fidei debuit eße locus.
Si locus Injustis plectendis debuit eße.
Si locus ornandis debuit eße Probis;
Denique perdendis Iudæis debuit eße
Si locus; haut aliter debuit hoc fieri.
Qui Christum his oculis redivivum non videt ipsum;
Credit at ille tamen, jure beatus homo est!

Quomodo dicatur CHRISTUS languores nostros portare, & infirmitates livore suo sanare. Matt: 8. Esa: 53.

Sic est; portavit nostros, portatque reatus
Christus adhuc, qui nunc Cœlica Regna tenet.
Sed quâ portavit languores Corporis olim,
Hac mentis morbos & ratione tulit.
Sanavit verò, non illos transtulit in se,
Aut pro his cui precium sat-faciendo dedit:
Sic quoque dúm curat, ne vel Nos fæda fatigent
Crimina, vel summi Nos premat ira Dei,
Dicitur humanos Christus sustollere morbos,
Et sanare animi morbida membra mali.
Verùm, ita decernente Deo, quia Mortis acerba
Hæc interventu res peragenda fuit,
Hinc livore suo nostros sanaße reatus
Et fertur plagas ille tuliße juges.
Nam cùm testetur Mors ipsa gravissima Christi,
Humanam Gentem perditè amare Deum;
Quî non illa queat, pravas convertere mentes,
A scelerum cunctos & revocare luto?

Atque eadem Christo fuerit cùm janua ad illa,
Quæ paria exercet cum Patre Sceptra suo;
Quî non ille queat, pœnas avertere nostras,
Et dare morigeris Regna beata Viris?
Qui secus hunc noxas hominum portare, vel ipsum
Has sanare putat, fallitur ille nimis!

Absurditas Satisfactionis.

Si Christi fecit profusi sanguinis olim
Guttula pro nobis plus satis una Deo.
Hunc tamen adversus cur tamtâ sæviit irâ,
Et justum excessit cur Deus iste modum?
Tot mala paßus erat; fudit tantum ille Cruoris,
Quantum mortalis lingua referre nequit.
Aut Deus hîc cuncti Iudex justissimus Orbis,
Injustum sese prodidit eße nimis.
Atque idem pariter, qui frustra nil facit umquam,
Prudentem sese prodidit eße minùs.
Aut alia est ratio, Christum cur hisce volebat
Tradere suppliciis, & tot acerba pati.

Si gratis, quomodo propter Satisfactionem.

Omnia propitiùs peccata remittere Gratis
Cùm poßit Nobis, & velit ille Deus.
A primo Gratis cumque illa remiserit Orbe
Cunctis, quos vidit pœnituiße mali!
In Nos tàm largum nunc quando profudit amorem
Qui sibi vult Christi Morte satisfieri?

Quomodo nos Christus Morte suâ, seu sanguine a peccatis liberet,

A nostris certe Peccatis sanguine fuso,
Nos Christus duplici liberat ipse modo.
Tùm sectatores Operum nos quandò bonorum
Efficit, ex pravis & facit esse bonos.
Tùm qnando meritâ, pro Crimine, perpete pœnâ
Asserit, & Vitâ nos beat ille novâ.
Christus enim fuso pervénit ad Astra cruore,
Ad tamta & rerum, quæ tenet, Imperia.
Vndé fides magnis facta est quia maxima rebus,
Dictáque jam Christi, factáque pondus habent;
Quòd Peccatorum pœnâ, culpæque reatu
Sit sibi Fidentes asseruisse potis;
Est data Terrigenis ingens occasio cunctis,
Queis haurire datum est, scireque tale bonum,
Et valedicendi Peccatis, & benè posthac
Vivendi ad normam, maxime Christe, tuam.
Hincque ex Decreto Iovæ, Virtuteque Christi
Demùm libertas ista secunda venit.
Ergò peccati fac ut sis liber ab actu,
Peccati à pœna liber ut esse queas.
Non alios à peccatis nam, sanguine fuso,
Aut alio Christus liberat ipse modo.

Cur CHRISTUS sæpè dicatur nos Redemisse potiùs, quàm liberasse a peccatis. Rom: 3. Eph: 1. Tit: 2. &c,

Nos à Peccatis quùm Christus Liberet ipsis,
Non ullo precio, muneribusque datis;

Cur tamen a nostro Redimi, tàm sæpè reatu
Dicamur, ratio certa, gravisque subest.
Impendit nostrî quià caußâ tale quid ille,
Quo nihil hic totus carius Orbis habet,
Dilectam nimirum Animam, sanctumque cruorem,
Ingentis poßunt quæ precii eße loco.
Vt magis hoc vocis constaret significatu,
Nostra illi quamti constitit ista salus.
Sic olim Gentem antiquam Deus ipse redemit,
Quamquam tunc ulli munera nulla dedit.
Tantùm quòd grandes intervenêre labores,
A Duce quùm Populum liberat ille suum.
Hinc Ductor Moses est dictus & ipse Redemtor,
Quo Deus, ut medio, tale peregit Opus.
Funere qui feciße satis Christum putat, hincque
Eße Redemptorem, desipit ille nimis!

Placamentum cur CHRISTO tributum, & unde ductum. Rom: 3. Heb: 9.

Quod Placamentum, seu propitiatio Christus
Dicatur, ratio nominis hujus adest;
Quòd tantùm in Christo sit fas cognoscere, nobis
Placatus quàm sit, propitiusque Deus.
Quippè per hunc nos alloquitur Deus ipse, Voluntas
Tota per hunc nobis est patefacta Dei.
Hac ratione, typus Christi, placamen operclûm
Antiqui dictum Fœderis antè fuit;
Quòd se propitium Populis præberet in illo,
Hinc responsa Deus quandò petita daret.

Errat! qui Christum Placamen nominat indè,
Placârit nobis Morte quòd ille Deum.

CHRISTUS cur pro nobis in cœlo Deum orare dicatur. Rom: 8. Heb: 7. & 9.

Omnipotens cùm sit Christus liberrimis & Rex,
Qui nuuc pro libitu cum Patre cuncta regit;
Quare pro nobis interpellare, vel ipsum
Exorare tamen dicitur ille Deum?
Nimirum propria est haut ista locutio, cùm sit
Cum Christi pugnans Omnipotente manu.
Est tamen in promtu certa, & dignissima scitu
Caußa, loqui sacrum cur ita Numen amet:
Quandoquidem Christus Rex est, idemque sacerdos,
Præfecit Populo quem Deus ipse suo,
Hac nos Mortales voluit ratione docere,
Curam ipsum Populi semper habere sui.
Instar Pontificis fungentis munere summi,
Per sua qui populo Vota ferebat opem
Nec minùs hac etiam voluit ratione docere,
Tale ipsum à summo Munus habere Deo.
Est immensa quidem Christi, & liberrima Virtus,
Hæc illi à Patre est tradita tota tamen.
Est immenßa quidem Christi; & liberrima Virtus,
Prodeße hac Populo debet at ille Dei.
Atque hinc pro nobis interpellare loquendi
Improprio hoc Christus dicitur ipse modo.
In Christum verba hæc aliâ ratione quadrare
Qui putat, à Vero discrepat ille nimis!

Blasphe-

Blasphemia in CHRISTUM, & in S. sanctum quid sit: Matt. 12:

In Iesum quid sit Christum blasphemia; quid sit
In sanctum Numen, dicere pauca libet.
Diverso certè pro tempore, candide Lector,
Discreto sunt hæc accipienda modo.
Offensus vili quondam qui schemate Christi,
Indigna hunc contra multa locutus erat,
Blasphemus fuit is; facilè at venia obtigit illi,
Si peccaße ipsum posteà pœnituit.
Nempè quòd ex animo non provenêre maligno
Illa, sed ex cordis simplicitate magis.
Hinc etiam Christus pro talibus in cruce pendens
Ipse suo Patri Vota, precesque tulit.
Verùm Christi Operis qui majestate patrari
Iam benè perceptâ; maluit ille tamen
Id potiùs Satanæ, quàm sancto adscribere Christi
Spiritui, qui tunc conspiciendus erat.
Hic erat æthereum blasphemans Numen; & hinc est,
Supplicii æterni quòd reus iste fuit.
Nunc quoque Doctrinam in Christi convitia quisquis,
Ipsius vacuus cognitione, jacit,
Ille est blasphemans Christum; verùm ille quod errat,
Difficilè haut veniam, si resipiscat, habet.
At qui condemnat quod novit, & ipse probavit
Iam collustratus Cognitione Dei,
Ille est blasphemans sacrum spirabile Numen;
Difficilè is veniam, si resipiscat habet.

Sed jam si tamto suscepto forté reatu,
Hoc scelus ante Deum discupit eluere;
Hujus tàm grandis delicti solius ille
Esse diu supplex cogitur ante Deum.
Quod si vel nequeat, sic indurante Iehova,
Vel, ritu hoc, numquam pœnituisse velit.
Heu miser! expositus quantis erit ille periclis,
Heu! quamtas pœnas hîc & ubique dabit.
Hîc illum varia & grandis manet ultio perpes
Defunctum fatis, & manet interitus.
Infelx qui tale nefas, & morte piandum
Contrahit! at felix qui vacat hoc scelere!

Cur CHRISTUS Dei Imago dictus sit. Col: 1. Heb: 1.

Esset ut Astrorum, qui nunc ignobile pus est
Cultor Homo quondam, Progeniesque Dei.
Sic illi visum est, & sic decrevit ab ævo,
Non ex difficili est cui facere omne, Deo.
Verùm naturâ cùm Numen tale sit ille,
Est nobis præsens quale videre nefas.
Solus & idcircò per se Mortalibus ægris
Pandere sit summum non potis illud opus.
Puriter enixum castâ de Virgine Christum
Regna parem nobis misit ad ista Virum;
Arcanum hoc Homines qui primus in Orbe doceret;
Primus & in Cœli Regna præiret iter.
Atque ita fas esset certam sperare salutem
Illi, cui Christo fidere cura foret.
Immò fas Cœlos & inaspectabile Numen
Pœné oculis esset tangere, pœnè manu.

Præstitit hæc Christus, nec frustrà dicier ergò
Solus imago Dei, cur mereatur, habet!

CHRISTUS omnis Creaturæ quî Primogenitus. Ibid.

Numine fæcundâ qui Virgine prodiit istam
In lucem primus, nemoque prætereà.
Sanctam adeò Vitam, qui primus in Orbe peregit,
Vt fuerit summo pœnè Deo similis.
Qui primus, postquam jam desiit eße superstes,
A meta rediit, vivus & est iterum.
Qui redivivus Homo Vitæ immortalis honore
Primus, & in Cælis pascitur ore Dei.
Deniquе par Iovæ qui primus & unicus, olim
Fidentes potis est sumere ad Astra homines.
Talis, quid mirum est, hæc singula & omnia propter,
Extet Prototocus si tibi præ reliquis.

In CHRISTO habitare omnem plenitudinem Divinitatis corporaliter. Ibid.

Quæ nunc tota patet Mortalibus aurea Cæli,
Christi ante adventum, Regia clausa fuit.
Omnes divini tantùm mortale sonabant
Doctores, illo tempore quotquot erant.
Qui tunc præcipuè Cultus sub Lege vigebat
Vmbra Voluntatis vix fuit ille Dei.
Namque humana ferè Promißa, ac Iußa tonabat,
Ipsaque Relligio bruta, rudisque fuit.
At postquam venit Doctor gratißimus Orbi
Christus, & incepit Munus obire suum.
Instituit primus divinam Relligionem,
Panditur astratum quâ Penetrale Dei.

Cœlica duntaxat Promissa sonabat ubique,
Ac Præcepta Deo non nisi digna dabat.
Tàm mortale nihil prodibat ab illius ore,
Sed tantùm possit quale decere Deum.
Ille arcana Dei non ullis cognita seclis,
Primus ad hæc nobis & patefecit iter.
DIs similem quâ fas humanam evadere Gentem,
Incolere Astra Homines quâ licitumque Poli.
Magnificam sanè Doctrinâ Relligionem!
Præceptis Cultum Pollicitisque sacrum!
Hoc divinarum tam plena scientia rerum est,
Quam nulla in Terris plenior antè fuit.
Vt non immeritò Deitatem habitare reapse
Dicere in hac Christi Relligione queas.
Indè Voluntatis perfectæ, si sapis, hauri
O Homo! notitiam, non aliundè, Dei.

Qui CHRISTUS sit primus & ultimus. Apoc: 1. Esa: 41.

Respectu quondam quo primus & ultimus idem
Dictus erat, Cœli Conditor ille Deus.
Nempè quòd elegit Populum sibi solus, eundem
Conservaturus denique solus erat.
Hoc etiam Christus nunc primus & ultimus idem
Dicitur, immensi Filius ille Dei.
Nempè Novi Populi quia primus & extitit autor,
Et consummator posteà solus erit.
Ille revelavit primùm Mortalibus illud
Immortale Bonum, Sidereumque decus.
Ille revelatam nunc promovet usque salutem,
Finiturus eam, cum Patre cuncta tenet.

Eſſe Deum ſummum qui Chriſtum colligit indè,
Errat! differitas inter utrumque ſua eſt.

Differentia Veteris & Novi Fœderis.

Fœderis Antiqui, ſi quis vult ſcire, Novique
Quæ ſit diſparitas, parva docere mora eſt.
Pauca habuit Priſcum Promiſſa, & terrea Fœdus.
Plura Recens, nec non Cœlica, Fœdus habet.
Spes Veniæ certis Vitiis, parviſque dabatur
Priſco, ſed cunctis Fœdere facta Novo eſt.
Conſtabat pœnæ venia illic tempore certo,
Hîc veniam æternam, qui reſipiſcit, habet.
Cogit ad obſequium Vetus illud Lege, miniſque,
Allicit hoc precibus, pollicitisque Novum.
Illius infectis Mediator rebus obivit,
Hujus perfector vivit, & Aſtra tenet.
Exhibuit ſeſe metuendi Regis ad inſtar
Antiquæ Genti Iova ſubindè Deus.
Patris ad exemplum, blando ſe prodit amore,
Nunc erga Populum, ſemper ubique novum.
Quantò igitur præſtant Promiſſa perennia tereîs,
Rege PATER, Chriſtus Moſe, preceſque minis.
Tantò nempè Recens Pactum eſt præſtantius illo,
Duro illi Populo quod fuit antè datum.
Qui ſapit, is brevibus comprenſa examinat aptè,
Atque nova antiquis anteferenda putat!

